

157.

Schiffen.

157.



V

0011

(alt Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



DISPUTATIO METAPHYSICA

De

PRIMO CON-
CEPTU DEI,

nostro intelligendi modo.

Quam

SUB PRAESIDIO

PAULI SLEVOGTI

Ebraeæ & Græcæ Lingvarum Professoris

Publici ordinarii,

Publico Examini


subjicit

BALTHASAR POSEVVITZ

Langlensis, Bruçterano - Cheruscus,

ad diem Martii

in Auditorio Majori.



JENÆ

Typis CASPARI FREYSCHMIDI.
ANNO M. DC. LIII.

45

Lat



VIRIS

Reverendo, Eruditione, Pietate, virtutum
cultura, longoque rerum usu Præstantissimis

Dn. M. V Vilhelmo Posewitz/ Langlensium
Pastori meritissimo, vigilantissimo, Parenti suo,
plurimum amando.

Dn. Michaeli Salzman/ Civi in Ermsleben
primario, Affini suo amicè colendo.

Dn. Philippo Posewitz/ Nobiliss: ab Hoym
Præfecto in Ermsleben olim dignissimo,
Patruo suo honorando.

Dn. V Vilhelmo Posewitz/ Germano suo
charissimo.

Debitæ gratitudinis, honoris
& amoris ergo

Hasce studiorum suorum primitias

D. D. D.

Respondens

Balthasar Posewitz Langlensis.



Σὺν τῷ Θεῷ Παλάμη.

De
PRIMO CONCEPTU DEI
NOSTRO INTELLIGENDI
MODO.

Scopus noster non est, congerere in
praesens omnes Dei descriptiones, quas fere
innumeras habent autores & quas etiam haec
pagina non capit: sed potius, quum in his va-
ria praedicata Deo tribuantur, quae ratione nostrae non
aeque primo ipsi inesse certum est, operae pretium nos
facturos putamus, si dispiciamus, quodnam ex illis praedi-
catis praecipuum sit, quod nostrae intelligendi modo
omnium primo in Deo concipiamus, & quod Deum ab
omnibus aliis rebus distinguat, sitque radix ac origo re-
liquorum, quae ipsi attribuuntur, praedicatorum, si non
immediate, saltem mediate.

2. Licet enim praedicata DEI, quatenus aliquid
reale ac positivum in ipso dicunt, sint realiter idem, non
solum inter se, sed etiam cum essentia; idem tamen non
sunt nostrae concipiendi modo, sed habent diversos con-
ceptus, quorum alius ita Deo competit, ut ratio a priori,
quae Deo conveniat, reddi propterea non possit, quia a
nullo oritur, ab ipso autem oriuntur reliqui, & hic con-
ceptus solet dici primus ac quiddam primitivus: alius, licet ve-
re competat Deo non tamen competit primo, sed secun-
dario

A 2

dario



dario, quantum ad nostrum intelligendi modum, quia
quod insit, ratio a priori potest reddi. Unde ejusmodi
conceptus solet appellari secundarius.

3. Et hæc conceptuum diversitas, quam in Deo
dari contendimus, explicari potest exemplis è naturâ
petitis. Homo est *rationalis* & est *risibilis*, *admirativus*,
capax discipline: quæ prædicata omnia recipiuntur
cum homine. sed *rationalis* est conceptus hominis pri-
mus ac quidditativus, quia primò concipitur in homi-
ne, & quod ipsi insit, ratio a priori nulla potest reddi:
sed *risibile*, *admirativum*, & *capacitas discipline* conce-
ptus primi non sunt, sed secundarii, quia non primò
conciuntur in homine & assignari potest causa, quod
homini insint. Ideò enim homo est risibilis, admirati-
vus, & capax disciplinæ, quia est rationalis. essentia igitur
hominis in *rationali* consistit, reliqua prædicata at-
tributorum rationem habent. Idem patet in quanto,
quod est *extensum* & habet partem extra partem, est *di-
visibile* & *mensurabile*. Ac licet talia prædicata omnia
recipiantur cum quanto, eodem tamen modo ipsi non
insunt. Nam esse *extensum* vel habere partem extra
partem quanto inest primò, & quod insit, ratio a priori
nulla planè dari potest. Unde esse *extensum* vel habe-
re partem extra partem est primus ac quidditativus
conceptus quanti: sed esse *divisibile* & *mensurabile* sunt
conceptus secundarii, quod enim quanto insint, ratio a
priori, si eam quis expetat, dari potest. Quum enim
prius sit, habere partes, quam dividi posse in partes, &
esse *extensum*, quam secundum extensionem mensura-
ri, patet, ideò quantum esse *divisibile* in partes, quia ha-
bet partem extra partem, & *mensurabile*, quia est *ex-
tensum*. Ratio igitur formalis quanti est *extensio*, re-
liqua prædicata se habent per modum affectionum.

4. Ita

4. Ita quoque si tam diversa prædicata Deo tribuuntur, licet eodem modo ipsi omnia convenient, si rem ipsam spectemus; non tamen eodem modo ipsi conveniunt ratione nostrâ. neque enim omnia, quantum ad nostrum concipiendi modum, Deo æquè primò insunt, sed unum quidem inest primò & ita quidem, ut ratio à priori nulla queat dici, quur insit, in quo propterea positam esse oportet rationem formalem Dei, nam primus cujusque rei conceptus est essentia & formalis ratio ejus: reliqua insunt ratione nostrâ secundariò & velut dependenter à primo: quur enim insit DEO, causa vel ratio assignari potest à priori. Quod vel inde patescit. Si enim quæras, quur Deus sit æternus? rectè respondemus quia est immutabilis. quur immutabilis? quia est simplicissimus & omnis compositionis expers. Heic simplicissimum esse, immutabile, ac æternum esse, quantumvis eodem modo, quantum ad rem, Deo competant; non tamen eodem modo competunt, quantum ad conceptum. æternitas enim immutabilitati, & immutabilitas simplicitati attribuitur, tanquam causæ vel saltem tanquam rationi à priori, in propositione causali. Nam quod Deus æternus sit, ratio est, quia est immutabilis: quod immutabilis, ratio est, quia est simplicissimus: ita si quæras, quare se Deus amet? aliter responderi nequit, quàm quia se cognoscit. heic iterum cognitioni attribuitur amor, tanquam rationi à priori, in propositione causali: amor autè attribui cognitio planè non potest, tanquam rationi, hæc enim causalis falsissima est: ideo Deus se cognoscit, quia se amat. nostro itaque concipiendi modo cognitio sui in Deo prius est, quàm amor sui.

5. Hoc saltem interest, quod affectiones & attributa

A 3

buta

tributa quædam causam essendi *physicam* habent, à qua verè & realiter causantur, quædam autem habent causam essendi *Logicam* tantum, quam *Cajetanus* l. 1. *Post. Analit.* c. 2. virtuales vocat, à qua quidem *physicè* non causantur, causarentur tamen, si esset, ut possent *physicè* causari. unde ejusmodi causa non tam est causa essendi, quàm ratio essendi à priori. Etsi enim ea affectiones & attributa, quorum causa dicitur, realiter non causat, est tamè ratio & quod insint, & quod cognoscatur inesse.

6. Et *Physicam* quidem causam ea attributa habent, quæ ab essentiâ, à quâ fluunt, secundum rem sunt distincta. Ita rationalitas in homine est causa *physica* risibilitatis & capacitatis disciplinæ, quia risibilitas & capacitas disciplinæ realiter sunt distincta à rationalitate & ab illâ realiter causantur, ergò *physicè*. *Logicam* verò causam ea habent attributa, quæ secundum rem non distinguuntur ab essentia rei, à quâ promanant, & propterea *physicè* causari ab eâ nequeunt; causarentur tamen ab eâ *physicè* & realiter, si realiter ab eâ essent distincta. Sic *divisibilitas* in quanto, causatur ab *extensione*, quæ est primus conceptus ejus, causatur autem non *physicè*, quia est realiter idem cum ipsâ, sed *Logicè*, quia *extensio* est ratio à priori ejus. causaretur tamè *physicè*, nisi obstaret identitas realis cum eâ. Sic quoq; in Deo *immutabilitas* est causa æternitatis, cognitio, amoris, quia æternitas ratione nostrâ ab *immutabilitate* oritur, amor à cognitione: sed causa intelligi debet, non *physica*, nihil enim *physicè* causat seipsum, sed *Logica*, quæ tantummodò est ratio à priori. Nihilominus *physicè* essent principium, *immutabilitas* quidem æternitatis, cognitio autem amoris, si possibile esset ea secundum rem distingui.

7. In

137. 7. In eo igitur ratione nostrâ procul dubio essentia ac ratio formalis Dei consistit, quod primò concipimus in eo, & ita se habet, ut Deo immediatè insit & à nullo priori oriatur nostro concipiendi modo: deinde, quod est proprium solius Dei, eumque ab omnibus creaturis distinguit: denique quod ratione nostrâ principium, radix, ac origo est reliquorum absolutorum Dei conceptuum. Hoc sicuti certum est, & extra controversiæ aleam positum: ita minùs patet, quis ex omnibus sit primus ille Dei conceptus: vel quid omnium primò concipiamus in Deo, quod quidem tale sit, ut ex alio non oriatur, ex ipso autem oriatur reliqua absoluta eius prædicata nostrò concipiendi modo: unde fit, ut in eò definiendo minùs consentiant Doctores.

8. Nam primò Aristoteles primum Dei conceptum, uti videtur, ponit in vita ejus æterna & optima. Sic enim scribit *Metaph. c. 7.* *Ἐπεὶ τὸν θεὸν εἶναι ζῶον αἰδίου, ἀριστον. ὡς ἐ ζῶν καὶ αἰὼν συνεχῆς καὶ αἰδιότης ὑπάρχει τῷ θεῷ. τὸ το γὰρ ὁ θεός.* Dicimus, Deum esse vivens æternum, & optimum. quo circa vita & ævum continuum, & æternum Deo est; hoc enim est Deus Philosophum sequitur Petrus Hurtadus de Mendozâ *Disp. Metaph. 20. sect. 2. num. 21.* In hoc (primo Dei) conceptu, inquit, includi rationem vitam nulli potest esse dubium, quia Deum necessariò apprehendimus in aliquâ specie perfectâ, vivens autem est omnium perfectissima: immò & necessariò intelligimus Deum actualem vitam.

9. Quæ sententia ut intelligatur, observandum est quod vita sit duplex: alia in actu primò alia in actu secundò. Vita in actu primò est ipsa natura rei viventis, quatenus est vel esse potest principium operationis vitalis. vita autem in actu secundo est actualis operatio

peratio viventis. 2. utraque rursus vel est *physica*, vel *intentionalis*. & *physica* quidē in actu primō est principium intrinsecum activum aggenerationis per intus sumtionem, quatenus ad eam semetipsum actuat vel actuare potest: *Physica* verō in actu secundo est ipsa aggenerationis per intus sumtionem elicitā à principio intrinseco activo, in quō est. Ratio tandem vitæ intentionalis in actu primō consistit in principio cognoscitivo & appetitivo: in actu secundo consistit in ipsā cognitione & appetitione. Et dicitur *intentionalis*, non quod à parte rei non sit vita & solūm operatione mentis: sed quia consistit in principio intellectivo & volitivo atque in actibus, inde elicitis, qui intentionales solent dici. Hæc supponimus, si *Physicis* aliter videtur, haut inviti sequemur. nam ad rem, quam agimus, perinde est.

10. Nunc argumentamur: Deus non est vivens vitā *physicā* nec in actu primō, neque in actu secundo: ergō vitā *physica* non est id, quod primo concipimus in Deo, & consequenter non est essentia divina nostro intelligendi modo. Consequentia patet, antecedens probamus: quia nihil ex principio intrinseco Deus aggenerat sibi, per intus sumtionem, in quā aggeneratione vitæ *physicæ* rationem esse positam diximus. Juxta quem loquendi modum ratio vitæ *physicæ* non est communis Deo & creaturis, sed propria plantis & iis animalibus, quæ sese nutriunt.

11. Licet autem Deus non vivat vitā *physicā*, vivere tamen eum vitā *intentionali* non est, quæ negetur. Nam vivens intentionale in actu primō nihil est aliud, quàm substantia cognoscitiva & appetitiva: in actu secundo, quàm cognoscens & appetens. Deus autem cognoscitivus est & cognoscit per suam essentiam, ac
per

per eandem etiam appetitivus est & amat: ergo Deus est vivens vitâ intentionali. Hoc liquet, nec aliquam desiderat probationem. Ut enim Angelus vivit hoc vitâ genere, sic etiam Deus, quantum ad rem ipsam, tantum in modò rei aliqua intercedit diversitas. Nam angelus, quum semet actuat, hoc facit per veram causalitatem. Unde inter vitam in actu primò & vitam in actu secundò in eo est distinctio à parte rei. & aliud est realiter vita substantialis, aliud vita accidentalis vel actualis. illa se habet, ut principium hujus, hæc ut forma illius: at in Deo non distinguuntur à parte rei, sed sunt simplicissime idem. Nam Deus per suam substantiam est actualissime vivens, nec admittit in se actum primum & secundum. unde nec causalitas cogitanda in eò est, nec distinctio realis. non solum enim per substantiam vivit, sed est ipsa substantialis vita.

12. Nihilominus tamen, etsi ita est, ut Deus vere ac realiter vivat vitâ intentionali, & vita hæc sit realiter idem cū essentiâ Dei; tamen nostrò concipiendi modo in hac vita non consistit essentia & ratio formalis ejus. Probamus hoc argumento: illud est essentia & ratio formalis rei, nostrò intelligendi modo, quod primò in eâ concipimus: sed esse vivens, non est illud, quod primò in Deo concipimus: ergo esse vivens non est essentia & ratio formalis Dei, nostrò intelligendi modo. Major constat: sicut enim illud est essentia rei realiter, quod est realiter primum distinctivum ejus & radix ac origo aliorum, quæ in tali re reperiuntur: ita illud est essentia rei ratione nostra, quod ratione nostra est primū distinctivū ejus & radix ac origo aliorū, quæ in tali re reperiuntur.

13. Minorem probamus: quia prius in DEO concipimus, ipsum esse, & esse à se, quàm ipsum vivere. & quum concipimus, deum esse Ens à se, formaliter non concipimus, deum esse Ens vivens. dum demum enim

B

ratio

ratio vitæ concipi in DEO potest, quando concipitur ut cognoscens, ut amans. unde *Philosophus* ipse, ostenso prius, quod DEUS sit intelligens, l. c. concludit, quod habeat vitam perfectissimam & æternam, quia *intellectus eius est perfectissimus*. Et *semper in actu*, ut observavit, *Thomas p. 1. summ. quest. 18. art. 3.* igitur esse vivens non est primus conceptus DEI. deinde esse vivens etiam non est ratio à priori reliquorū DEI conceptuū. nec enim DEUS, quia est vivens, ideò est infinitus, æternus, omnipotens, uti per se cuiusvis liquet, relinquatur ergo, quod in ratione vitæ non sit posita DEI essentia nostro intelligendi modo.

14. Quod *Mendozam* attinet; non est dubium, quin dormitet. quæ enim consequentia? DEUM necessario apprehendimus, ut Ens vivens, ergo quod sit ens vivens, est primus eius conceptus: DEUM necessario intelligimus actualem vitam, ergo vita actualis est primus conceptus eius. Si enim antecedens eo sensu accipit, quod DEUS alio conceptu concipi non possit, quam actualiter viventis, manifestè falsum dicit, concipi enim potest, ut omniscius, ut omnipotens, & non tantum ut vivens: si verò antecedens hoc sensu capit, quod in omni conceptu DEI necessario includatur ratio vitæ ex eò, quia quicquid in Deo est, sit ipse Deus, ut adeò æternitas Dei concipi nō possit, nisi concipiatur, ut viva, sicut bonitas eius, nisi ut viva, concipi nequeat; ita quidē aliquid dicit, est enim Deus justus justitiā vivā, infinitus infinitate vivā. verum licet demus, nihil concipi posse in Deo, in quò non necessario includatur ratio vitæ, si res ipsa spectetur; falsissimum tamen est, in omni conceptu DEI necessario includi rationem vitæ, si spectetur noster concipiendi modus. Constat enim, quod, si concipiamus æternitatem Dei, justitiam Dei, aut infinitatem eius, tunc non concipiamus rationem vitæ formaliter,

ter, quippe quæ tum demum formaliter concipitur, quum Deus concipitur ut intelligens vel ut volens. Negamus igitur, formaliter in omni conceptu Dei necessario includi rationem vitæ, nostro intelligendi modo.

15. Deinde negamus quoque in primò Dei conceptu rationem vitæ includi. Ponamus enim primum Dei conceptum esse, quod à se est & improductus ab aliò. Certè, si Deus, ut à se est & improductus ab aliò, concipi nequit, nisi simul concipiatur, ut vivens, si per impossibile Deus nec intelligere nec amare posset, præcisè ex eò, quod est à se & improductus ab aliò, esset vivens: Consequens est absurdissimum, ratio enim vitæ in Deo formaliter non consistit in hoc, quod Deus sit à se, sed quod sit intelligens & amans, ut sæpè dictum: ergo etiam antecedens est absurdissimum, ex quo sequitur. Confirmamus. Fuerunt olim, qui putarunt, coelum & terram esse à se, & negarunt tamen, vivere. Et fortè etiamnum sint inter idiotas, quos audias affirmare, coelos esse à se & aternos, negare tamen, esse viventes: ergo in conceptu Entis à se non includitur formaliter ratio viventis. Hactenus prima sententia.

16. *Secundò* alii docent, scientiam & intelligentiam DEI esse primum conceptum & ipsam DEI essentiam, non solum secundum rem, sed etiam ratione nostra. Sic vult *Thomas p. 1. summ. q. 14. art. 1. & 4.* ubi sæpe repetit, quod intelligere Dei nihil aliud sit, quam substantia ejus, & intelligit hoc, ex sententia *Suarezii*, formaliter. Sic *Aureolus in 1. sent. dist. 35. art. 2. & Gabriel Biel ibid. art. 2. conclus. 3.* ubi sic scribit: *Scientia, quæ est Deus realiter, est ex naturâ rei divina essentia ab eâ penitus indistincta: nec realiter nec formaliter tantum, sed omnibus modis eadem essentia, quibus essentia est eadem sibi ipsi.* Sic

Franc. Suarez Disp. Metaph. 30. Sect. 15. num. 14. & Sect. 16. num. 14. ubi expressè ait, quod scientia Dei ex se & in sua ratione formali habeat, formaliter constituere ipsam essentiam Dei in propria & quasi specifica ratione. Hæc sententia quoad rem est eadem cum præcedenti, differt tantum ab eâ, quoad modum loquendi. Nam vita DEI formaliter est ipsa scientia & cognitio eius.

17. Probatur. à Thoma ex Augustin. l. 7. de Trinit. c. 7. Deo hoc est esse, quod sapientem esse: hoc autem est sapientem esse, quod intelligere: ergo Deo hoc est esse, quod intelligere: sed esse Dei est substantia eius: ergo intelligere Dei est eius substantia. 2. ab Aureolo: nulla creatura est magis cognitio, quam essentia divina: sed actus nostri sunt essentialiter cognitio, etiam ratione nostra: ergo quoque essentia Dei ratione nostra erit actualis cognitio. 3. à Biele: scientia est divina essentia & non per considerationem intellectus: ergo ex natura rei. Tenet consequentia à sufficienti divisione. Prima pars assumpti patet, quia quicquid realiter est in Deo, est divina essentia. Secunda patet, quia negotiatio intellectus nostri nihil facit ad hoc, quod Deus sit scientia. 4. à Suarezio: Divina essentia est intellectualis, non per modum principii aut radicis intellectionis, sed ut ipsamet intellectio subsistens, sed intellectio & scientia Dei idem formalissimè sunt: ergo actualis scientia per essentiam est veluti ultimum essentialiter constitutivum divine nature.

18. Quæ, utcumque sese habeant, tanti tamen non sunt ut eis pertrahi in hanc sententiam possimus. unde eam rejicimus, perinde ac superiorem, & argumentamur hoc modo. Qui conceptus ita convenit Deo, ut ratione nostra oriatur ab alio, is non est primus conceptus Dei & consequenter nec constituit formaliter essentiam

sentiam eius in propria & q. specificâ ratione: conceptus
scientiæ ac intellectiōnis ita convenit Deo, ut ratione no-
strâ oriatur ab alio: ergo conceptus scientiæ & intelle-
ctiōnis non est primus conceptus, nec ac consequen-
ter nec constituit formaliter essentiam ejus in pro-
pria & q. specificâ ratione. Major liquet; id enim est
eiusque rei essentia, quod primò in eâ concipimus, &
cujus ratio à priori reddi non potest, quæ insit.

19. Minorem probamus: quia formaliter prius
concepitur res essentialiter constituta, quàm operans, &
prius existere, quàm intelligere. Deinde, quia ratione
nostrâ prius est, quod Deus sit intellectivus, quàm quod
sit actu intelligens. Licet enim in Deo à parte rei non
detur actus primus & secundus & proinde principium
intelligendi in eo sit ipsa actualis intellectiō; nostrò ta-
men intelligendi modò prius est in Deo, esse substantiam
intellectivam, quod est prædicatum actus primi, quàm
esse intelligentem, quod est prædicatum actus secundi.

20. Quod itaque *argumenta* attinet, pro con-
trariâ parte facta, & n. quidem argumentum *Thomæ*, ni-
titur istud autoritate *Augustini*; quæ nos impræfens non
urget. Quum enim *Augustinus* ait, quod in Deo esse &
sapientem esse sint idem, loquitur de identitate rei, non
de identitate rationis, & hoc tantum docet, quod sapien-
tia Dei sit ipsa essentia ejus quoad rem, quod verissimum
est, & nos non negamus: an autem sapientia Dei sit es-
sentia ejus quoad considerationem nostram, hujus spe-
culationis ipsi perinde atque aliis *Patribus* nunquam in-
mentem venit. Si tamen id ab aliquò assertum fuisse
ostendi queat, jam evicimus, ex eò sustineri non posse,
quod intellectiō non sit primus Dei conceptus, sed se-
cundarius, & propterea quod se non habeat per modum
essentiæ, sed per modum attributi.

20. Quum

21. Quum igitur *Thomas* scribit, quod intelligere Dei sit ipsa essentia ejus, hoc in *sensu identico* concedimus, quò misericordiam etiam Dei essentiam ejus esse dici potest, quam tamen ratione ab essentiâ distingui nemo negat: sed in *sensu formali*, quò accipi à *Thomâ* vult *Svaretz*, negamus. Ea enim in sensu formali prædicantur, quæ cum subjecto sunt idem non solum secundum rem, sed etiam ratione nostrâ: intellectio autem Dei licet realiter idem sit cum essentiâ, ratione tamen ab eâ differt. Nam ratione nostrâ essentia est, ut quod intelligit, intellectio autem, ut quò intelligitur. Quemadmodum itaque ex eò, quod Deus est suum esse vel suum existere, non sequitur, quod existentia sit ratio formalis ejus, essentia enim in Deo non minus præscindi potest ab existentia, quàm in creaturis, & dicitur saltem suum esse ob necessitatem existendi, quod formalitas existentia in Deo non sit corruptibilis, sicut in creaturis est: ita quoque ex eò quod Deus est suum intelligere, non sequitur, quod intellectio sit ratio formalis ejus, quum essentia Dei ab intellectu actuali non minus possit præscindi, quàm existentia. Jam quod præscindi ab aliquò potest, non est ejus essentia, repugnat enim, essentiam præscindi posse à seipsâ.

22. 2. Argumentum *Aureoli* deducimus ad absurdum hoc modo: nulla creatura est magis charitas & miseratio, quàm essentia Dei: sed actus nostri sunt essentialiter charitas & miseratio, etiam ratione nostra: Ergo essentia Dei, etiam ratione nostra, erit actualis charitas & miseratio. Conclusio est absurda & contra ipsum *Aureolum*. In *Minori* autem nihil desiderari potest. ut enim actus cognitionis est essentialiter cognitio etiam ratione nostrâ: ita actus charitatis & miserationis sunt essentialiter charitas & miseratio, etiam ratione nostrâ. relinquitur ergo, quod vel Ma-
ior

jor sit falsa, vel peccetur in consequentiâ. Dicimus igitur, quod essentia Dei, licet simplicissima sit, respondeat tamē, nostro concipiendi modo, & substantiæ nostræ & ipsi actuali cognitioni nostræ, quæ in nobis distinguuntur realiter. Si nunc probare queat *Aureolus*, quod essentia Dei ratione nostrâ eodem modo respondeat substantiæ nostræ & actuali cognitioni nostræ; non diffitemur, essentiam in DEO & cognitionem ejus fore idem non solum re, sed etiam ratione. at verô hoc non est: Si enim consideramus essentiam DEI, ut respondet nostræ substantiæ, non est tam intellectiva actu, quàm est ipsa actualis nostra intellectio, quæ, nisi ut actualis intellectio, nunquam concipi potest. non ergo essentia & cognitio in DEO sunt re & ratione idem.

23. 3. *Gabr. Biel* aerem ferit, probat enim cognitionem & scientiam DEI esse realiter ipsam ejus essentiam, quod nemo negat. non enim quæstio est, an scientia DEI sit realiter idem cum ejus essentiâ, sed an essentia DEI in scientiâ subsistat, tanquam in ratione formali. ad quod probandum non sufficit identitas rei, sed requiritur etiam identitas rationis. nam essentiam rei oportet esse ita eandem sibi, ut nec realiter nec ratione à seipsâ possit separari. Implicat enim contradictionem, essentiam rei concipi, & tamen id, quod essentia rei formaliter est, non concipi. licet nunc negotiatio intellectus non faciat, ut essentia DEI sit scientia; infallibiliter tamen monstrat, quod essentia DEI non consistat in scientiâ, quia essentia DEI potest concipi, ut non concipiatur scientia ejus. Quod infallibile argumentum est, scientiam & essentiam DEI non esse formaliter idem, quemadmodum essentiam cujuslibet rei sibi realiter & formaliter, re & ratione, oportet esse eandem.

dem. Incumbit igitur *Bieli*, ut probet, essentiam & sci-
entiam in *DEO* sic se habere, ut non modo idem sint
re ipsâ, sed idem quoque ratione, atque adeo non queant
diversis formalitatibus concipi. quod probari non posse,
ex dictis constat.

24. 4. Argumentum *Suarezii* hoc est: si non da-
tur in *DEO* prædicatum actus primi ante actualem intel-
lectionem, saltem ratione nostra, tunc non poterit assi-
gnari aliquid ante actualem intellectionem, in quo essen-
tia divina consistat, sed consistet illa in ipsa intellectio-
ne: prius est verum: ergo & posterius. Antecedens pro-
batur: quia essentia divina non est intellectualis per mo-
dum principii vel actus primi, sed est ipsa intellectio sub-
sistens. Respondemus: nititur *Suarez* falsâ hypothesi,
& putat, si non detur actus primus intelligendi in *DEO*,
qui antecedit actualem intellectionem, saltem ratione
nostra, tunc essentiam *DEI* necessario in intellectione
ponendam esse, quod est manifestè falsum. unde ne-
gamus consequentiam. quantumvis enim non daretur
principium vel actus primus intelligendi in *DEO*, ratione
nostra antecedens actualem intellectionem eius, tamen
in intellectione statuenda non esset ipsius essentia, quia
datur alius conceptus in *Deo*, qui ratione nostra prior est
intellectione, ut inferius patebit: in illo igitur essentia
eius, non in intellectione, consistet.

25. Deinde antecedens quoque falsum est. Quan-
tumvis enim intellectivum & intellectio idem sint in
DEO, quoad rem, ut habet eius probatio, non tamen idem
sunt quoad conceptum, sed prius est intellectivum
intellectione, prioritate rationis. quod *Suarez* alibi
non satis sui memor ipse fatetur. nam *Disp. 30. s. 15. n. 13.*
quum *Capreolum* docere dixisset, aliquid perfectionis
esse

esse in actu primo, quæ formaliter reperiatur in Deo, ratione cuius aliquid in ipso concipi possit per modum actus primi; hanc sententiam veram esse ait, & ita scribit: *duobus modis potest aliquid in nobis concipi per modum actus primi: uno modo ex parte objecti & positive tribuendo ipsi formalem rationem actus primi, & hoc modo non tribuitur Deo: alio modo ex parte intelligentis, præscindendo solum unam rationem ab aliâ, & hoc modo nos dicimur in Deo concipere aliquid per modum actus primi.* concipimus enim in Deo esse vim intelligendi, præscindendo ab actuali intellectione. ergo secundum ipsummet *Svaretzium*, intellectivum potius erit conceptus primus Dei, quàm intellectio, & in illò potius consistet essentia eius, quàm in hoc.

26. Tertiò, alii sunt, qui putant, essentiam Dei ita constituendam ratione nostrâ, quemadmodum realiter est constituta. Unde omnia prædicata absoluta eius, bonitatem, sapientiam, misericordiam, justitiam, & reliqua, quæ sunt essentia Dei, quoad rem, contendunt etiam esse de conceptu primò vel de essentia eius, quoad nostrum intelligendi modum. sic dicuntur sentire *Patres*. videtur quoque esse sententia nonnullorum recentiorum, expressè scribentium: *quicquid in Deo est, de essentiâ illius esse sed Svaretzium Disp. Metaph. 30. sect. 6. num. 5. eam sine dubio, probat. nam quum alibi contendat, ut supra visum est, scientiam Dei non esse tantum ipsammet essentiam eius, sed etiam de essentiâ, ita ut eam constituat in ratione talis essentiæ; heic docet, omnes perfectiones absolutas, per quas attributa Dei intelligit, esse de essentiâ eius, esse formalissimè de conceptu essentiali eius, esse ipsammet essentialem rationem eius. sed ne nesciamus, quod hac in re sibi non constet, mox ait*

C

num.



num. 6. quod Deus sit primum ens de se necessarium, & quod in hoc essentialis ejus ratio consistat: & num. 17. quod essentia Dei possit concipi, ut non concipiantur attributa ejus: item num. 18. quod essentia sit ratio à priori attributorum, non quidem secundum se, sed secundum modum nostrum concipiendi: denique num. 19. quod possit unum attributum demonstrari per aliud, & illud apprehendi, ut prius, ac ut ratio alterius.

27. Quæ quomodo conciliaturus sit cum eò, quod attributa Dei de conceptu essentiali ejus esse contendit, ipse scierit. nobis certum est, quod simul consistere non possint. putat tamen hoc esse ratione naturali evidens, & probat his argumentis. 1. quia Deus ex vi sui esse necessarii ex seipso est. Ens essentialiter summè perfectum: ergò præcisè conceptum hoc ens secundum id, quod est de essentiâ ejus, includit omnem possibilem perfectionem: ergò attributa, quæ significant has perfectiones simpliciter, ita in Deo continentur, ut sint de essentiâ ejus. 2. Quia perfectiones non sunt in Deo, ut aliquid accidentale, etiam per modum propriæ passionis: sunt ergò de substantiâ Dei. quicquid autem est substantiale in aliquo, est aut natura ipsa, quæ maximè est de essentiâ, aut singularitas naturæ, quæ in Deo etiam est de essentiâ, aut personalitas. hæc autem perfectiones, quas per attributa significamus, non pertinent ad propria constitutiva personarum. nullus ergò superest modus quò possint esse de substantiâ Dei, nisi sint etiam de essentiâ, seu essentielles Deo.

28. His *Hectoribus* se jactat *Svaretz*: sed, quid virium obtineant, mox patecet. ut tamen nihil inde extimescendum nobis sit; aliud tamen suppetit, quò hæc sententia non parum firmari posse videtur. Nam oportet,

portet, ut essentiam Dei ita concipiamus, sicuti est à parte rei. modus enim concipiendi sumendus est à modo rei. Si itaque essentiam Dei non concipimus, ut est in se, non essentiam Dei concipimus, sed figmentum nostrum. Unde argumentamur: quod essentia Dei est à parte rei, hoc etiam debet esse ratione nostrâ: sed essentia Dei à parte rei est sua attributa: ergo essentia Dei debet etiam esse sua attributa ratione nostrâ.

29. Quicquid horum sit, etiam hanc sententiam rejicimus, idque facimus illâsâ Patrum autoritate, quos eam docuisse vel approbasse ostendi non potest. Quum enim docent, quod Deus sit sua bonitas, sua veritas, sua sapientia, sua potentia, hoc quidem dicunt, quod hæc & alia attributa Dei sint ipsa ejus essentia, sed quod sint de essentiâ ejus, eò quidem sensu, quò hæc accipimus, nusquam dicunt. inter duo autem ista, esse essentiam alicujus rei, & esse de essentiâ alicujus rei, nemo ignorat, differentiam esse longè maximam. Nam ad illud, ut aliquid dici queat essentia alicujus, sufficit identitas à parte rei, si nempe realiter non distinguatur ab eâ: ad hoc autem, ut aliquid dicatur esse de essentiâ alicujus, identitas realis non sufficit, sed requiritur insuper, ut ita includatur in ratione essentiæ, ut essentia præcisò eò concipi non possit.

30. Declaramus exemplis in creaturis, existentia est in re idem cum essentiâ existentis, quia in re nulla est distinctio inter existentiam & essentiam; sed non est de essentiâ ejus, quia essentia potest concipi, ut non concipiatur existentia. Sic in divinis, personalitates quoad rem sunt ipsa Dei essentia, quia sunt realiter idem, sed non sunt de essentiâ ejus, quia essentia potest concipi, non conceptis relationibus. At verò animalitas in

C 2

homi-

homine non solum est idem cum essentia, sed etiam de
essentia eius, quia non tantum realiter non distinguitur,
sed & in ratione eius ita includitur, ut essentia hominis
concipi nequeat, si non concipiatur animalitas. Inde
satis elucescit, hallucinari eos, qui *Patres* ex eo statuere
putant, quod attributa sint de essentia Dei, quia sint rea-
liter ipse Deus: nulla enim consequentia est, *Patres*
docent, attributa Dei esse ipsum Deum: ergo attribu-
ta Dei, ex ipsorum sententia, sunt de essentia eius: quum
aliquid possit esse essentia alicujus, ut tamen non sit de
essentia eius, uti jam patuit.

31. Quod *Svaregium* attinet, ille suo se gladio
jugulat, & principia, quae nobis subministrat, evertunt
eius thesin. Si enim primus conceptus, vel ut ipse lo-
quitur *num. 6.* ratio essentialis Dei in hoc consistit, quod
sit primum Ens & a se existens, sequitur, quod de primo
conceptu vel ratione essentiali Dei non sint attributa
eius, nostro intelligendi modo: prius est: ergo etiam
posterius. Consequentia probatur: quia attributa
Dei secundum modum nostrum concipiendi non sunt
primum Ens, nec sunt a se, sed sunt ab alio, ab essentia
enim fluunt tanquam a ratione a priori, ut dicit *num. 18.*
2. Si essentia Dei potest concipi, ut non concipiantur
attributa, uti affirmat *num. 17.* sequitur, quod essentia
non includat attributa, nec attributa sint de essentia, no-
stro intelligendi modo: antecedens est verum: ergo
& consequens. Consequentia probatur: fieri enim
non potest, ut essentia rei concipiatur sine eo, quod in-
greditur essentiam rei. Nihil enim minus est distin-
ctum, quam essentia a seipsa. Sicut itaque absurdum
est, si animalitas sit de essentia hominis, essentiam ho-
minis concipi, ut non concipiatur animalitas: ita ab-
surdum

furdum quoque erit, si attributa sint de essentia Dei, essentiam concipi posse, ut non concipiantur attributa.

32. Nec juvat *Svarezius* explicatio, quam subiungit: *præscinduntur attributa, inquiens, ab expressa perfectione talis essentia, non tamen ab implicita inclusione.* Concipio enim Deum per communem conceptum Entis vel essentia adjungendo aliquam negationem vel perfectionem, quæ fiat proprius Dei, ut concipiendo essentiam simpliciter infinitam aut ex se actualem, per quem conceptum distinctè non considero, quæ perfectiones sint de ratione essentiali talis nature. Et hoc modò dicuntur præscindi per talem conceptum; tamen implicitè seu confuse non possunt excludi vel præscindi, quia in perfectione illius rei concepta essentialiter continentur. Postea verò per proprios conceptus *justitiæ & misericordiæ &c.* explicitè considerantur. Non juvat, inquam, eum distinctio de inclusione explicita & implicita. quæ inter eos conceptus saltem datur, qui se habent, ut inferiores & superiores. ubi semper inferior includit superiores, nunc explicitè, nunc implicitè. Sicut animal includit gradus superiores, corpus, vivens, substantiam, Ens; qui licet formalissimè sint de essentia animalis, tamen in explicitò conceptu animalis non semper dicuntur. nec enim, qui dicit animal, expressè dicit vivens, substantiam, Ens. ratio autè, quæ implicitè includantur, licet non considerentur expressè per conceptus proprios, hæc est, quia gradus illi ratione nostrâ nõ adæquatè distingvuntur. Licet enim superior possit præscindi ab inferioribus, quod eos in suo conceptu nõ includat, inferior tamè præscindi nequit à superioribus, quia eos omnes includit in suo conceptu.

33. At diversissima ratio est essentia & attributorum Dei. hæc enim se invicem nõ respiciunt ut inferius & superius & propterea ratione nostrâ adæquatè distingvuntur.

Unde ratione nostrâ se invicem non includunt, sed unum est extra conceptum alterius, non minùs atque animalitas extra conceptum rationalitatis est, & hæc extra illius. Quod etiam ex *Svaretzio* patet, quum essentiam divinam Metaphysicè definit, quod sit *Ens simpliciter infinitum*, vel *ex se actuale*, & nec intellectionem includit nec volitionem, nec justitiam, nec potentiam. attributa igitur ne implicite quidem sunt de essentia naturæ divinæ, nostro concipiendi modò: sed conceptus primus Dei erit ratione nostra, quod sit essentialiter infinitus, aut quod sit à se & improductus ab alio, quia quum essentialiter infinitus, aut quum à se sit, ratio à priori nulla reddi potest: conceptus autem propriè attributorum erunt secundarii, quia quum insint Deo, ratio à priori hæc dari potest, nempe quod sit infinitus & esse à seipsò habeat,

34. Unde nunc 3. urgemus *Svaretzium* etiam hoc argumento: si essentia divina potest concipi præcisè attributis, quemadmodum affirmat *Sect. 6. Num. 17.* sequitur, quod scientia Dei, quam etiam inter attributa numerat, non sit ratio ultimo constituens essentiam divinam in esse talis naturæ vel essentiæ, uti dicit *Sect. 15. num. 14.* consequentia manifestissima est: implicat enim contradictionem, aliquid concipi, ut tamen non concipiatur ratio formalis ejus. Si scientia est ratio, per quam essentia Dei constituitur in esse talis essentiæ, quomodo talis essentia potest concipi, ut non concipiatur ratio, per quam talis est? Quum itaque hæc simul consistere nequeant, alterutrum oportet, ut revocet *Svaretz.* vel quod concipi essentia Dei possit, non conceptis attributis formaliter, vel quod attributa sint de essentiâ Dei: sed prius revocare nequit, quippe quod verissimum, super est ergo, ut revocet posterius.

35. Atque

35. Atque ita haecenus *Svaregium* videtur
contra se pugnantem, de hinc videbimus, quomodo
pugnet contra nos, argumentatur primò sic: Essentia di-
vina est Ens essentialiter & infinite perfectum: ergo
in se se includit omnes perfectiones, etiam eas,
quas attributa ejus significant. Respondemus: in-
cludit in suâ essentiâ omnes perfectiones, etiam attribu-
torum, quantum ad rem, concedimus argumentum:
includit, quantum ad nostrum concipiendi modum,
negamus consequentiam. Si regeratur: essentia Dei
est infinite perfecta non solum realiter, sed etiam ratio-
ne nostra: ergo includit etiam omnes perfectiones
non solum inclusione reali, sed etiam inclusione ratio-
nis, consequentia probatur: Si enim non omnes inclu-
dit ratione nostra, sed caret perfectionibus iis, quas di-
cunt attributa, tunc ratione nostra erit imperfecta, quod
est absurdum. Sed denuò negamus consequentiam.
neque enim omnia, quæ se ita includunt, ut sint idem à
parte rei, statim etiam idem sunt ratione nostra. patet
hoc exemplo relationum divinarum, quæ utique inclu-
duntur in essentia & idem sunt cum ipsa quoad rem, non
tamen includuntur & idem sunt ratione, quia sunt ex-
tra conceptum essentiæ. alioqui si ratione nostra idem
essent cum essentia & ita includerentur in conceptue-
jus, vel nulla persona esset adæquatè essentia divina,
quoniam nulla habet omnes tres relationes,
vel si quælibet adæquatè esset essentia divi-
na & ita haberet tres relationes, quælibet etiam
esset pater, filius & Spiritus S. quælibet gigneret ac
gigneretur, spiraret ac spiraretur.

36. Deinde patet exemplò attributorum Dei,
quæ

quæ non negamus se invicem includere & idem esse se-
cundum rem, propter quam identitatem possunt de se
invicem prædicari in sensu identico & potest dici, justitia
est misericordia ejus & misericordia Dei est justitia
Dei ejus; sed non propterea statim se invicem includunt
etiam & idem sunt ratione. Nam licet omnia realiter
idem sint; habent tamen diversas formalitates, si con-
cipiuntur in ordine ad diversa connotata. unde in sen-
su formali non potest dici, justitia dei formaliter est mi-
sericordia dei formaliter, vel, deus justitia sua misere-
tur, & misericordiâ sua punit. nam habent sensum re-
duplicativum, & in iis reduplicatur modus concipiendi
hoc modo: justitia dei, quatenus concipitur in ordine
ad punitionem, est misericordia ejus quatenus concipi-
tur in ordine ad miserationem, qui sensus est falsus.

37. His igitur instantiis vis argumenti fracta est.
nunc dicimus, ad infinitam perfectionem essentia divi-
na non requiri, ut ratione nostra includat omnem per-
fectionem in genere Entis, sed sufficere si includat o-
mnem perfectionem in genere essentia. Includit au-
tem ratione nostra omnem perfectionem in genere es-
sentia, si concipiatur, ut est radix suorum attributo-
rum & ut eminenter ea continet. Nec est necesse, ut
perfectiones, quas attributa significant, etiam formali-
ter includat, nostro concipiendi modo, quia ut sic non
sunt perfectiones in genere essentia, sed in genere attri-
butorum. atque hac responsione concidit, quod *Sua-
rez* pro stabiliendo suo antecedente urget *num. 6.* quam-
vis hoc ut impedat, enixè obnitatur. omnes enim ner-
vos intendit, ut, si possibile sit, thesin suam tueatur,
hinc inde corradit quicquid suæ causæ inservire posse
putat. nam *num. 7.* tria affert, quæ responsionem no-
stram

stram labefactare videntur, quod attributa non sint pri-
us in Deo eminenter, quam formaliter, sed quod insint
tantum formaliter, quia nullum includant imperfectio-
nem, quam abstrahi ab iis oporteat, ut in essentiali ra-
tione Dei contineantur. 2. quod non sit eminentior
modus continendi attributa quam formalis: ergo, quum
in primâ & essentiali ratione Dei sint necessariô conti-
nenda, & modô quidem perfectissimô, effici, ut in eâ
formaliter contineantur. 3. quod Deus sit perfectissi-
mum Ens, & perfectissimô modô, quantum excogitari
potest, perfectior autem modus sit, si attributa inclu-
dantur in essentiâ Dei, tanquam de essentiâ eius, quam
si solum sint adjuncta vel concomitantia essentiâ: nam
priori modô intelligi Deum infinitè ac summè perfe-
ctum, posteriori autem modô minimè, quia nihil intel-
ligatur summè perfectum, nisi formaliter affectum sit o-
mnibus perfectionibus simpliciter.

38. Verum ne his quidem vel hilum proficit.
omnia enim hæc argumenta patiuntur instantiam à re-
lationibus divinis. contra itaque argumentamur sic:
si attributa Dei nostrô concipiendi modô non possunt
præcontineri in essentia divina eminenter, sed tantum
in eâ sunt formaliter, quia nullam includunt imperfectio-
nem, quam abstrahi oporteat ab iis, etiam relationes
divinæ non poterunt præcontineri in essentia eminen-
ter, sed tantum in ea erunt formaliter, quia etiam nul-
lam includunt imperfectionem, quam abstrahi ab iis o-
porteat, ut in essentiali ratione Dei queant includi: po-
sterius est falsissimum, nam relationes, etsi perfectissimæ
sunt & formaliter in Deo, formaliter tamen non conci-
piuntur, quum concipitur essentia Dei secundum se,
sed tantum eminenter, uti satis superius est probatû: ergo
falsissimum quoque prius est. Si igitur relationes, quæ
formaliter in Deo sunt, ratione nostrâ eminenter præ-
con-

D

con-

continentur in essentia eius; quid rei sit, quare attribu-
ta, licet etiam formaliter Deo insint, ratione nostrâ non
queant in essentiâ eius eminenter præcontineri? cum-
primis quia hoc modo essentia Dei non realiter consti-
tuitur radix attributorum, sed tantum ratione nostrâ.
duobus enim modis essentiam Dei concipimus, i. *com-*
paratè ad essentiam nostram, & sic est radix suorum atri-
butorum, & ea eminenter continet: quemadmodum es-
sentia nostra eminenter continet nostras proprietates.
2. *comparatè ad nostras proprietates*, & sic attributa ipsi
formaliter insunt, quemadmodum nostræ proprietates
nostræ essentiæ. non igitur absurdum est, idem præ-
dicatum ratione nostrâ dupliciter inesse essentiæ divinæ:
eminenter, si priori modò, *formaliter*, si posteriori modò
concipiatur.

39. Argumentum 2. in formâ sic habet: quod
in primâ & essentiali ratione Dei necessario & perfectis-
simo modo continetur, id ipsi formaliter inest: attribu-
ta in primâ & essentiali ratione Dei necessario & perfe-
ctissimo modo continentur: ergo attributa ipsi forma-
liter insunt. Minor non potest negari. Major pro-
batur: quia eminentissimus modus continendi attri-
buta est formalis. Ut compendium responsionis facia-
mus, subsumimus de relationibus hoc modò: quod in
primâ & essentiali ratione Dei necessario & perfectissi-
mo modo continetur, id ipsi formaliter inest: rela-
tiones in primâ & essentiali ratione Dei necessario &
perfectissimo modo continentur, ergo ipsi formaliter in-
sunt. Si dicit *Svaretz*, relationes includi quidem in es-
sentia formaliter, quoad rem, sed non includi formaliter
ratione nostrâ, quare non idem quoque dicit de attribu-
tis, quum utrobique, quantum ad hoc, eadem ratio sit.

40. In 3. nulla difficultas est & frangitur ejus
ner-

nervus eadem instantiâ. essentia enim divina summè
perfecta est in genere essentiæ, licet nostro concipiendi
modo non sit formaliter affecta perfectionibus relatio-
num. Ut igitur ad infinitam perfectionem essentiæ di-
vinæ satis est ratione nostrâ, si contineat perfectiones re-
lationum eminenter, nec requiritur, ut etiam includat
formaliter: ita ad eandem etiam ratione nostrâ sufficit, si i-
psi, ut sic, competant perfectiones attributorum eminent-
ter, nec est necesse, ut formaliter etiam insint. uti e-
nim relationes eò modò, quo sunt relationes, essentia non
sunt: sic nec attributa eò modo, quo attributa sunt, essen-
tia esse possunt, atq; hoc est *primū Svaretzii* argumentū.

41. *Secundò* videtur ita argumentari: quod ra-
tione nostra non est de essentia rei, illud ratione nostra
est accidens ejus, tertium enim non datur: sed attribu-
ta Dei ratione nostra non sunt de essentia ejus: ergo at-
tributa Dei ratione nostra sunt accidentia ejus. con-
clusio est absurda. quum enim accidentia imperfe-
ctionem involvant & faciant compositionem realem
cum eo, cui insunt, simplicitati & perfectiōni dei repu-
gnat, dari in eo accidentia. oportet itaque absurdam
esse alterutram ex præmissis: Major autem, uti patet,
verissima est: superest igitur, quod Minor sit falsa.
Respondemus: si omne illud accidens rei dici potest,
quod extra conceptum ejus est, inficiari nemo debet, at-
tributa dei, quoniam, nostro intelligendi modo, pri-
mum ejus conceptum non ingrediuntur, sed ex illo
fluunt, tanquam ex radice, vocari posse eius accidentia.
verum sciendum est, quod secundum hunc loquendi
modum *accidens sit duplex: physicum & Metaphysicum*. quæ
multum inter se differunt. Nam *physicum* est rea-
liter distinctum ab eo, cui accidit, deinde im-
perfectionem importat, & denique compositionem fa-



cit realem cum eo, in quo est: at *Metaphysicum* est à parte rei idem cum eò, cujus accidens dicitur. deinde nullam importat imperfectionem. formaliter enim in hoc consistit, quod ratione nostra sit extra conceptum rei, in qua est. unum autem esse extra conceptum alterius ratione nostra, nullam importat imperfectionem. denique nullam compositionem facit, nisi rationis, quam deo constat non repugnare.

42. Licet nunc neque summa simplicitas, neque infinita perfectio dei admittat, ut in eo accidentia statuamus quæ *physica* vocari solent; nihil tamen obstat, quo minus attributa illius appellemus accidentia *Metaphysica*, saltem ex eò, quod extra conceptum essentia sint, & nostro intelligendi modò ex eâ fluant, uti proprietates creaturarum ex essentia fluere dicuntur, quantumvis à parte rei idem sint cum ipsâ. nec enim hoc sensu ratio accidentis aliquid dicit à parte rei, sed tantum est per intellectum, perinde atque ratio attributi: quod hoc nominis inde habet, quia intellectus noster per id Deo aliquid attribuit ad modum proprietatis. argumentum igitur de accidente *Metaphysicò* intellectum concedimus. quod absurdum non est. neque enim hoc concedendo plus dicimus quam aliquid esse in deo, quod nostrò modo concipiendi non sit de primò conceptu ejus, quod verum esse, jam liquet.

43. Rejctò sic *Svaretzio*, ultimum argumentum, quod superpondii loco additum est, nihil habet in recessu. ad Majorem ergo respondemus, nos quidem non aliam concipere essentiam, quam eam, quæ est in Deo à parte rei: sed eandem non concipere, ut est in Deo à parte rei. essentia enim Dei objectivè est una simplicissima entitas, quam intellectus noster in hac vitâ non potest adæquatè totam uno conceptu apprehendere. parti-

tur

tur igitur eam in plures conceptus, quorum singuli illam repræsentant, sed *inadequatè*, nempe unam & eandem Dei essentiam nunc concipit, ut relucet in essentia creata & sic dicitur *essentia* ratione nostrâ, nunc ut relucet in intellectu creato, & sic dicitur *intellectus*, nunc ut relucet in voluntate creatâ & sic dicitur *voluntas*. nec propterea errat intellectus noster aut falsus est, si de uno conceptu objectivò Dei, eoque simplicissimo, plures formet conceptus formales. Licet enim essentia divina dicat unum conceptum objectivum, quoad rem; multiplex tamen ille est ratione nostrâ. unde singulis formalibus conceptibus, quibus ipsa *inadequatè* apprehenditur, respondent singuli conceptus objectivi, non quidem re, ratione tamen distincti, v.g. si essentiam Dei concipimus in ordine ad actum puniendi, dicitur *justitia*, eandem si concipimus in ordine ad actum miserendi, dicitur *miseri-cordia*. hæc distinctis formalibus respondent distincti objectivi. nam essentia concepta in ordine ad punitio-nem non est idem conceptus objectivus ratione nostrâ, qui est, quum eadem concipitur in ordine ad misera-tionem. & hoc sufficit ad servandam veritatem conce-
ptuum formalium.

44. Sequitur *quartò* sententia eorum, qui essen-tiam Dei ratione nostrâ in eò constituunt, quod sit *Ens à se*. quam amplecti quoque videntur ii, qui propriam & essentialem rationem Dei in infinitate positam esse do-cent, infinitatem autem intelligunt substantialem; cu-jus vera ratio sit, ex seipso esse & non ab alio. volunt enim, quod, sicuti finita dicitur res secundum essentiam, quæ accipit esse ab aliò, tanquam causâ, & ab eò ita pendet, ut sine illius influxu subsistere non possit, sic Deus dicatur infinitus quoad essentiam, quatenus esse à nullo habet, sed ex seipso est & in genere Entis nec fine nec terminò

D 3

pot-

pōtēst limitari. Si itaque ratio infinitatis Dei secundum
essentiam in eo consistit, quod non sit ab alio, sed à se, ma-
nifestè patet, quod illi, qui essentiam Dei ratione nostra
ponunt in esse à se, & hi, qui eandem ponunt in infinita-
te, quantum ad rem convenient, inter se dissideant dun-
taxat in modo loquendi. Huic sententiæ calculum adji-
cit *Gabr. Vatzquetz, part. 1. summ. Disp. 119. c. 3. num. 30.*
essentia, inquam, quatenus consideratur, ut substantia Dei
& fundamentum attributorum, non includit in nostrò con-
ceptu attributa; nihilominus est infinita, etiam sub hac con-
sideratione & perfecta in genere substantia. infinitas enim
substantialis non est, habere omnem perfectionem attribu-
torum, sed non habere causam sui esse. & eandem sequitur
Dn. Scheiblerus l. 2. Metaph. c. 3. num. 58. quum Deum de-
finit esse Spiritum infinitum, & essentiam ejus repræsenta-
ri putat sub voce Spiritus secundum confusum & com-
munem conceptum, sub voce infinitatis, secundum di-
stinctum & proprium.

45. Quæ sententia videtur inde probari posse, quod
huic prædicato, *esse à se*, omnes conditiones convenient,
quæ in eò requiruntur, in quò essentia rei consistit. nam
primo omnium hoc in Deo concipimus, quod à se sit &
non ab alio: per hoc etiam Deus ab omnibus aliis rebus
distinguitur: & denique ex eo, quod Deus à se sit, pro-
manant cætera, quæ in ipso sunt. unde fuit *argumentum*:
quod primò in Deo concipitur & primò Deum distinguit
ab omni alio, quod non est ipse, atque adeo se ita habet, ut
ex eo, nostro concipiendi modo, reliqua prædicata orian-
tur, quæ in Deo sunt, in illo consistit essentia Dei, no-
stro concipiendi modo: *esse à se*, primo concipitur in Deo
& eum distinguit ab omni alio, quod non est ipse, ex eo
quoque nostro concipiendi modo reliqua prædicata o-
riuntur

riuntur, quæ in Deo sunt: ergo in illo, quod Deus à se sit, consistit essentia ejus, nostro concipiendi modo. *Majorē* nemo negat. *Minor* inde constat, quia *esse à se*, ita Deo inest, ut, quæ inest, ratio à priori non possit dari: deinde, soli Deo inest, & quicquid non est deus, est ab alio: denique ex eo, quod deus à se est, bene sequitur, quod sit æternus, quod omnipotens, quod intellectivus.

46. Sed dubitari potest de veritate *Minoris*. videtur enim ad absurdum deduci posse, instando de reliquis Dei attributis, quæ Ens à se esse, nemo negat. certè sic licet argumentari: *esse à se* est id, quod primò concipitur in Deo, & ipsum distinguit ab omni aliò, quod Deus non est, ex eò etiam reliqua prædicata, quæ in Deo sunt, nostro intelligendi modo oriuntur: sed justitia Dei est à se, uti quoque æternitas Dei & misericordia ejus: ergo, *conclusio* est contra *Vatzquesium* & manifestè falsa. *Minor* autem vera, ceu patet: falsa ergo *Major*. Nec luxatur nervus consequentiæ, si quis regerat, quod aliud sit, ipsa ratio essendi à se, aliud, habere istam rationem essendi à se, & quod justitia Dei non sit ratio essendi à se, sed quod eam rationem tantùm habeat. Etsi enim inficias non imus, inter illa duo multùm interesse, quemadmodum non parum inter est inter rationem justitiæ & inter esse justum ac inter rationem hominīs ac inter esse hominem; tamen hæc distinctio non tam nobis officit, quàm argumentum prosternt adversæ partis. Sic enim esse à se, non est prædicatum singulare Dei, sed est ratio communis omnia ejus prædicata transcendens, etiam ea, quæ essentiam in ratione essentiæ non constituunt. Nam à se est simplicitas Dei, à se bonitas, à se potentia, quæ, de constitutivò essentiæ divinæ esse ratione nostrâ, etiam *Vatzquetz* negat. Jam autè ratio communis, quæ omnibus Dei attributis intrinsecè includitur, ut sic, non potest esse constitutiva essentiæ ipsius.

47. Igitur *quintò*, dum alii vident, in attributis Dei, v.g. bonitate, potentiâ, justitia, æternitate, constitui essentiam ejus ex eò non posse, quod, licet à se sint quoad rem, sint tamen ab alio quoad modum nostrum intelligendi: in ratione autem essendi à se ideo non posse poni, quod hæc ut sic, non sit determinatum

quid

quid, sed velut ratio generica in omnibus attributis inclusa, etiam in ipsa paternitate; idcirco determinandum putant illud, esse à se, per prædicatum aliquod particulare, ut ita simpliciter, primum sit, quod in Deo concipitur, non solum re, sed etiam ratione. hujusmodi autem prædicatum dicunt esse, *Ens à se subsistens*. quod sanè ita proprium Dei est, ut ab essentiâ ejus ratione nostrâ excludat omnia attributa ejus. ac potest firmissime probari argumentò illò, cujus paulò antè semel atq; iterum ferente occasione injecta mentio fuit: quia esse à se subsistens ratione nostrâ concipitur in Deo ante omnia attributa, & ad hæc idem prædicatū est radix, ex quâ ratione nostrâ attributa Dei manât: aliter igitur judicari nequit, quàm quod, *esse à se subsistens*, sit ratione nostrâ essentia Dei. Tantùm hoc observetur, quod quum essentiali Dei constituitur in hoc, quod à se subsistat, tò, *esse à se*, non neget, quamvis productionem, ac si Deus non sit, qui ullò modò est productus: sed neget duntaxat productionem ex nihilo. Nam Filius in divinitate est realiter ens à se, & tamen est realiter genitus à Patre & Spiritus S. etiam realiter à se est, & tamen realiter spiratur à Patre & Filio. Hoc igitur ad rationem essentiæ divinæ sufficit, quod ita à se subsistat, ut non sit producta ex nihilò. Quæ pluribus debebant diduci: sed, quia intra hos cancellos subsistendum est, in præsens finimus

Præstantissimo & doctissimo Dn. Respondenti.

Hunc primum numeris, Posevitzii, gratulor ausum
duntaxat quatuor, quod si perrexeris istò
tramite, Philosophâ Doctòrque exiveris aulâ,
tunc erit, ut numeris possis cantari octo.

Præses.

Non satis est, Te magna domi tentare sub umbra,
namque polos ultra mens generosa petit.
Prodit Fama Tuas, laudat Tritonia vires;
hinc Tibi divino nectere ferta Sophos.


Sic sui Posevitzii, Amici Amant. conatus prosequi.
M. Johann-Matthæus Nissel Norib.


Dum cathedram scandis Sophiæ molimine pulchro,
Apprecor hinc studiis prospera quæque tuis.

Dn. Contubernali grat. f.
Christianus Niebaw Wernig.

FINIS.







DISPUTATIO METAPHYSICA
De
**PRIMO CON-
CEPTU DEI,**
nostro intelligendi modo.

Quam
SUB PRAESIDIO
PAULI SLEVOGTI
Ebraeæ & Græcæ Lingvarum Professoris
Publici ordinarii,
Publico Examine
Subjicit
BALTHASAR POSEVVITZ
Langlensis, Bruçterano - Cheruscus,
ad diem Martii
in Auditorio Majori.

JENÆ
Typis CASPARI FREYSCHMIDI.
ANNO M. DC. LIII.